



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

V. In quo supradicta, aliquibus confirmantur exemplis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

eo continetur, bene & diligenter erga te obeat. Quocirca, etsi in aliis rebus, quo Superior imperfectos & parum mortificatos nos haberi, gaudere debeamus; (quæ sane sunt plurimæ) in hac tamē minime ferendum est, vt adeo te Superior superbum, præfractum, & immortificatū censeat, vt vereatur, ne qua te corripiet, monit. onem & reprehensionem, in malā sis partem accepturus. Quin imo, enitere vt quam optime sis, quoad hanc partem de te præsumat, quatenus tam eximio te beneficio, medioq; ad tuū in spiritu profectum tantopere facienti non priuet.

In regul. breuior. nu. 158. & in regul. fusiorib. nu. 52.
Vnde præclare S. Basilius: Quemadmodū, inquit, æger, de salute recuperanda sollicitus, applicita à medico medicamenta æquissimo animo tolerat, esto etiam acerba sit & aspera curationis ratio, nec in medicum insurgit indignans, imò ne animam quidem inducit, vt cogitet, sinistra hæc intentione ab eo applicari: pari modo vir humilis, quiq; reuera proficere in spiritu cupit, monita consiliaque corripientium æquissima mente complectitur, ne cogitans quidem ab animo maleuolo, & à passione aliqua efreni transuersim abrepto, ea proficisci. Si, salutis corporalis recuperandæ ergo, catapotia, quantumlibet amaricantia, nō repudiamus, atq; adeo gratanter permitimus, vt medicus aut chirurgus, vbi cumq; & quomodo cumq; collubitū fuerit, secet & adurat, quin etiam gratias ei propterea agimus, & in summi beneficij loco incisionem hanc reponimus; quanto idem nos, ait Basilius, erit æquius, ob spiritualem animæ nostræ valetudinem, & ad vniuersale Religionis totius bonū, præstare, etsi correctionis Medicina plus æquo sit asperior & amarulentior?

C A P V T V.

In quo supra dicta, aliquibus confirmantur exemplis.

Hom. 1. super 1. Epist. ad Corinth. S. Iohannes Chrysostomus exhortans nos, vt bene monētes benignis auri-

bus audiamus, eisq; nō obstrepamus, adfert in rei confirmationē exemplū illud, quod de Mose cōmemorat Exodus. Hic namque cum tanta esset sapientia & auctoritate vir, vt eū in populi sui ductorē rectorēq; Deus elegerit, multaq; tam in Ægypto, quā in deserto per eum prodigia patrarit, nihilominus, quod ei Iethro socer, vir priuatus, quoad populi regimen directionemq; consilium ac monitum dabat, in bonam partem accepit, ne videlicet vniuersum hoc populi regendi onus in sui solius humeros tolleret, sed eius partem aliquam in alios, qui sui, secundaria potestate accepta, adiutores essent, deriuaret: *Nō bonam, inquit, rem facis, stulto labore consumeris.* Notat autem eo loco Chrysostomus, quamprimum eum non intulisse, Videte, quæso, quis hic nobis consulere velit, (vti respondere solent hodie rōnulli, qui quantumlibet salutare & bonum consilium sit, ipsū tamen à tali vel tali suggeri inique ferunt) sed magna cum humilitate consilium accipiens, ilico executioni id mandauit.

Epist. 15. ad quintū. lib. 2. contra Donatist. c. 1.
Eadem occasione ponderat & expendunt SS. Cyprianus & Augustinus exemplum principis Apostolorum Petri, dum est à S. Paulo, occasione circumcisionis, cui eos qui è Gentibus ad Christi fidē recens conuertebantur, subscere tunc ille volebat, reprehensus. Ecce, vt Apostolus Petrus, inquit, nihil sublime de se præsumpsit, nihil altum sapuit, non se vltra quam par erat extulit, dicēs, Ego sum Ecclesiæ rotius princeps, & supremus hierarchia, plus mihi auctoritatis est quā aliis attribuendum, meæ fideles omnes sententiæ accedere, & voci obedire oportet: Vide vt Paulum idcirco non sit aspernatus, vel minoris duxerit, quod Ecclesiā nuper fuisset persecutus, nec etiam ab eo sit corrigi moneriq; dedignatus, sed bene consulenti haud inuitus obsecutus, & rationi ac veritati quamprimum, succumbentis instar, manus dederit.

Dignissimum item memoria est exemplum, quod hac in re nobis dedit Impe-

Kk rator

rator Theodosius, S. Ambrosii correptionem monitionemque æquo animo summaque humilitate excipiens: tam, cum eum factis, ob iniquam & atrocem in innoxios Thessalonicenses exterminii latam sententiam, interdixit, & Ecclesia exclusit, quam cum ei, oblato ad altare donario suo, intra sacrarium & aditum manere volenti, nuntio misso, significauit, vt inde ad commune & laicorum templum transfret; quod locus prior solis esset sacerdotibus ac presbyteris deputatus, & purpura Imperatores faceret, non sacerdotes: vt pluribus in Ecclesiastica historia refertur, quo loco, non sine ratione, disquirendum proponitur, magisne laudanda sit sancti præfulis constantia & fortitudo, quam admirabilis religiosissimi principis obedientia & humilitas.

Histor. 1. tripart. p. 2. l. 7. c. 6. & historia Ecclesiast.

In vita eius Paulinus.

Quin etiam hic ipse Ambrosius, vt in eius vita refertur, si quando ab aliis defectuum commonefiebat, magnas eis gratias agebat, singularique se beneficio affici credebat.

Monachus quidam Claraualensis, vt in Cisterciensis instituti Annalibus refertur, quoties corripiebat vel reprehendebatur, ad minimum Orationem Dominicam, pro sui monitore, in gratiarum actionem recitabat. Atque exinde sanctam hanc consuetudinem illo in monasterio inoleuisse, & legis cuiusdam inuolabilis vim obtinuisse eo in libro scribitur. Abbas Arsenius, vt apud Simeonem Metaphrasten legitur, qui inter omnes suæ ætatis monachos sanctimonie fama & nomine notissimus erat, & in seculo vir primarius & illustris fuerat, vt pote Theodosij senioris Imperatoris filiorum, Arcadii videlicet & Honorii (qui patri deinde in Imperio successere) præceptor aliquot nihilominus defectus, et si leues, habebat, qui sanctitati illius nequidquam derogabant. Nam, quoniam in seculo vir inclutus fuerat, & delicatiori vitæ generi assuetus, aliqua ei iam cum conuerso libertatis illius Palatinæ & Aulicæ, in qua hæctenus egerat, reliquæ

adhæresere: hinc fiebat, vt dum cõ aliis fratribus sedebat, sæpe pedem vnũ alteri superimponeret. Qui pedum situs, vt potest parum decorus & modestiæ non conueniens sanctis illis Patribus, non parũ displicebat. Omnes quidem eum rei huius commonitum volebãt: at nemo ei audebat proponere. Graue namque & perdifficile ipsis videbatur, rei tam paruæ ac fiuolæ Patrẽ tam grauem ac venerabile notare. Quocirca quid opus factõ sit, inter se deliberant: ac tum Abbas (pastor, qui magna vir erat prudentia & sanctitate, commodũ quoddam, cui mox Patres reliqui assensũ sunt, cõsiliũ suggestit. Proxima, inquit, vice cum omnes conuenimus, eodem ego situ pedes meos colloabo, vobis verõ eius me rei admonentibus quã primum dimittã: Vnde ille se in hoc reprehendi arbitratus, etiã mox dimittet suos. Placuit omnibus bonũ pii senis cõsiliũ: quare, cum proxime ad spicualẽ suam collationem Patres congregati essent, eo Abbas pastor pedes suos posuit modo, quo suos posuerat Arsenius. Patres ergo, hoc viso, eum ob indecorum hunc situm & malum omnibus datũ exemplum acriter coarguunt, ipse vero, ilico se ad modestiam composuit. Arsenius, audito visloque, quid in vicino fieret, velut aliud agens, suũ sensim pedẽ dimisit. Tam benigne autẽ teste historia, correptionem hanc accepit, vt numquã exinde amplius eo pedes modo composuerit. Sic quisque reprehensionem & correptionem, quæ in genere & aliis fit, velut sibi vni factã existimet. Simul etiam hinc liquebit ea, quã in alio corrigendo monendoque sitam esse diximus, difficultas.

CAPVT VI.

De Regula & Constitutione, quam in Societate habemus, de fratrum nostrorum defectibus immediate ipsi Superiori aperendis.

Nonã summarij Constitutionũ Regula hac de re sic loquitur: Ad maiorẽ in

Cap. 4. Ex am. 8. Regul. 9. summarij.